

# **Archives d'Anjou. Recueil de documents et mémoires inédits sur cette province publié sous les auspices du Conseil général de Maine et Loire, Appendix Cartis Majoris Monasterii, Nr. 4**

Universis sanctae ecclesiae fidelibus quibus hoc quod hic inscribitur scire expedit notificare volumus quod quidam homo de Liriac, Radulfus nomine, cognomine Locellus, quadam beati Martini hiemalis festivitatis vigilia, in nostrum hujus Monasterii Majoris capitulum cum domino Laurentio, priore tunc Liriacensi, et aliquantis aliis hominibus veniens, in nostrae societatis beneficium ut suscipi mereretur, satis humili et devota precum supplicatione, petiit et impetravit. De quo cum a domino Guillelmo, tunc abbatte, per librum capituli investitus fuisset, eadem hora tres parte decimae sua, quartam adhuc sibi ipsi reservans, Deo et beato Martino nobisque ejus licet indignis monachis, tam pro sua quam etiam pro omnium praedecessorum parentum suorum animarum remedio, in eleemosinam perpetuo liberaliter donavit possidendam. Cujus doni firmam libertatem signis adhuc evidentibus corroborans, acceptam de terra virgulam praedicti abbatis nostri rnanibus, geuibus ante eum curvatis, imposuit; quam iterum ab eo resumptam, egressus post acceptam licentiam de capitulo atque e vestigio in ecclesiam veniens, super altare majus, multis circumstantibus hominibus, pro aeternae stabilitatis indicio misit. Cujus rei testes sunt: Gestinus clericus de Castro Celso, Andreas pelliparius nichilominus de Castro Celso.